DE
CHRISTI DOMINI
AD COELOS ASCENSU
ORATIO

HABITA IN BASILICA LATERANENSI
IV. IDUS MAJI
AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM
CLEMENTEM XIII.
PONT. OPT. MAX.

A COMITE JOSEPHO MARIA VENDETTINI
PATRITIO ROMANO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA GENEROSI SALOMONI
M. DCC. LXIII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XIII.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

JOSEPH MARIA VENDETTINI
PERPETUAM FELICITATEM.

NON fuit excogitanda mihi ratio, Beatissime Pater, quâ Orationem hanc meam, quam Tibi humillimè ſiſto, Tuo Nomini

Digitized by Google

conſecrarem, ita ut non hoc audaciae potius, quàm obſervantiae erga Te meae tribueretur. Cum multae enim ſunt in Te uno mirâ varietate collectae virtutes, tum potiſſimum humanitate excellis, quae jucundiſſimum Te omnibus efficit, quaeque mihi viam recludit, atque animos addit, ut SANCTITATI TUAE qualeſcumque hos induſtriae meae fructus offeram. Quae quidem humanitas quanta eſſet, memini me intelligere, atque admirari vehementer, cum ad Summi Pontificatus apicem recens evectus Romanum, in quo mihi verſari con-

contigit eo tempore, Seminarium inviſeres, noſque omnes ad Pedes Tuos Sanctiſſimos paternè exciperes. Quâ, bone Deus, comitate, quâ clementiâ, quo erga nos amore tunc uſus es! quanto ſcilicet ne optare quidem auſi fuiſſemus. Ex illo ipſo die, ut verum fatear, Beatissime Pater, aliquam teſtificandi obſequii erga Te mei occaſionem vehementiſſime exoptavi. Sed quem diu fruſtra quaeſieram, ultro mihi tandem aditus ſe aperuit, cum de Sanctiſſimi Reparatoris noſtri Triumpho coram Te verba facere data mihi fuit pro-

Digitized by Google

vincia. Habes igitur cauſam, cur Tuo Nomini hanc Orationem meam inſcripſerim: Tuam nempe ipſam humanitatem, quâ omnes peramanter complecteris, reſpuis neminem, neminem a Te triſtem abire ſinis. Coeteras Virtutes Tuas non eſt, cur praedicem. Id enim ſumma animi Tui modeſtia minimè patitur. Unum tamen illud praeterire nullo modo poſſum, nimirum ipſum Orationis meae argumentum poſtulaſſe, ut Tibi uni dicaretur. Agitur ſiquidem in hac de Chriſti reditu ad Superos, cujus Tu Vicariam in Terris obtines pote-

Digitized by Google

poteſtatem . Cui igitur , niſi Tibi uni Orationem , quae de Chriſto eſt , dicari oportuit ? His autem omnibus ultimo hoc loco addere fas ſit , Beatissime Pater , ſummam eſſe mihi ſanguinis propinquitatem cum Venerabili Dei Famulo Hieronymo Berti Sacroſanctae Lateranenſis Baſilicae Canonico , ac felicis recordationis Innocentii XII. ab eleemoſynis , qui quamdiu vixit , tamdiu Romanae huic Sedi fuit addictiſſimus . Itaque meae quoque erga eamdem hanc Sedem devotionis , quam illius exemplo ſinceram, humillimamque profiteor,

pignus eſſe volui hanc meam Orationem Tibi Pont. Opt. Max. inſcriptam. Ea nunc ſi illud obtinuerit, ut ſicuti ad Te accedens magnitudinem Majeſtatis Tuae timet, ac reveretur, ita confirmetur a Te, hilarique excipiatur vultu, & Tuo ornetur Nomine, hoc maximum exiſtet quoque benignitatis Tuae argumentum. Ego verò ſanctiſſimis tuis pedibus advolutus, cum Tuâ augeri benedictione expoſco, tum Deum enixe oro, ac deprecor, ut SANCTITATEM TUAM communi totius Eccleſiae utilitati incolumem diutiſſime ſervet, atque cuſtodiat.

ORA-

Digitized by Google



ORATIO.

SI quem, Beatissime Pater, univerſae Eccleſiae jucundiſſimum, atque omni ex parte incredibilem nobis laetitiae voluptatem adferentem agimus diem, is profecto hodiernus eſt, quo triumphalem Chriſti Servatoris Optimi in Coelos Aſcenſum ex veteri Patrum more, inſtitutoque recolimus, ac veneramur. Hodie nimirum immutata prorſus Montis Olivarum ſpecie, non jam ibi omnia ad moerorem, & luctum compoſita, non confectos dolore Diſcipulos, non denique Reparatorem ipſum Sanctiſſimum prae metu, ac taedio

Digitized by Google

abjectum cernimus; imo eumdem illum ipſum Jesum ex eodem ipſo illo loco, ubi paulo ante cum oblatum a Patre cruciatuum ſuorum calicem praeguſtaſſet, ſanguine diffluebat, glorioſum nunc inter confertae multitudinis plauſus, atque expreſſas gaudio lacrymas in altum attolli, ac ſublimia Coelorum conſcendere jure optimo gratulamur. At verò laetamur ne ſolum, quod Chriſtus hodie victor ad dexteram Patris aſcenderit? Imo vero quod nobis quoque aſcenderit, quod Aſcenſio illius noſtra provectio ſit, quod eò, quò gloria praeceſſit Capitis, ſpes etiam vocetur & Corporis, dignis hodie gaudiis exultamus? Cujus quidem beneficii magnitudini conſiderandae, ac perpendendae pauliſper animum intendamus.

S. Leo Papa ſerm. 1. de Aſcenſ. Dom. S. Aug. ſerm. 265. aliàs 6. de Aſcenſion. ſerm. 5. nu. 2.

Et verò conſideranti cuipiam, atque animo perpendenti quidnam nobis tandem ille Servatoris noſtri è Terris ad Coelum regreſſus adtulerit, nonne tria occurrent potiſſimum bona, quae illa amoris erga nos ſui certiſſima documenta eſſe voluit: Fides ſcilicet excellentior, ac firmior; Spes aucta in Coeleſtem Patriam perveniendi; Charitas demum vehementior: quae tanta ſanè ex Dominica Aſcenſione effluxere nobis, quanta nonniſi a Deo donari potuerunt? Mirandum quidem, Beatiſſimos Apoſtolos, qui tot a Chriſto miraculis

S. Leo Papa ſerm. 2. de Aſcenſ. Domini.

lis confirmati, tot fuerant eruditi ſermonibus, qui
non Carne, & Sanguine, ſed qui in Coelis eſt,
Patre revelante, Jesum verum Dei Filium ex to-
ta aeternitate progenitum, verumque Hominem
ex Virgine ineffabiliter natum cognoverant, qui
eum Coeli, Terraeque conditorem eſſe profite-
bantur, qui ab illo audierant, in ipſo ſpem omnem,
atque fiduciam figendam eſſe, ac collocandam,
etſi eum pati, etſi Sanctiſſimum illud Humanita-
tis ſuae Templum deſtrui oporteret, continuò ta- Joan. 2.
men majorem eſſe in gloriam reaedificandum:
nihilotamen minus, vel ubi tempeſtate ſuborta, Matt. 8.
navis, qua vehebantur, fluctibus periclitari coe- Marc. c. 16.
pit, adeò pertimuiſſe, ut modicae fidei argue- S. Leo Papa
rentur, vel atrocitatem Dominicae Paſſionis adeo ſerm. 1. de
expaviſſe, ut veritati Reſurrectionis illius non Aſcenſ. Domini.
ſine haeſitatione adhaeſerint: imò poſtquam Chri- S. Gregor. Pap. homil. 29. in Marcum.
ſtum ab Inferis excitatum triduo revixiſſe jam
acceperant, neceſſarium fuiſſe, ut ipſe Dominus
in illorum coetu medius appareret, qui & non
credenti Diſcipulo ſe daret contrectandum. Aſt
illud magis mirandum, dixerim, quod tantùm
de Aſcenſione Domini profecerint, ut, quidquid
illis prius metum intulerat, in gaudium vertere-
tur, & omnis recederet dubitatio, qua a creden-
do retardarentur. Nimirum quae Salvator no-
ſter

Digitized by Google

ſter inchoavit in ſuis, dum adhuc verſaretur in Terris, poſt ſuam in Coelum Aſcenſionem perfecit. Atque hinc illa in fide firmitas, ut, metu depulſo, divina quadam hilaritate geſtirent, ut ad Evangelium promulgandum jam alacres facti cruciatus, caedes, ignem, ferrum, ac teterrima quaeque acerbitatum genera imperturbato animo aſpernarentur. Et verò cum Fides eò ſit fortior, atque excellentior, quò Myſterium minus oculis ſubjectum habemus, perſpicuum profecto eſt, Apoſtolorum Fidem majorem excellentiam quamdam, ac dignitatem ex illius diſceſſione percoepiſſe. Atque hoc illud eſſe ex eis unum, quae ex ſuo diſceſſu Chriſtus in nos derivare voluit bona magna prorſus, atque divina, ut ſcilicet, recedente ipſo, Fides in nobis perficeretur quodamodo, & excellentiorem quaſi naturam quamdam indueret, nemo, qui rem rectè pecpendat, poterit inficiari. Ecquid enim cauſae fuiſſe putabimus, quod poſt Reſurrectionem ſuam Dominus Mariam Magdalenam perſonam Eccleſiae gerentem ad ſui contactum non admiſerit, quod nondum aſcendiſſet ad Patrem, niſi quia nos nolebat ad ſe in corpore accedere, nec eum ſenſu Carnis cognoſcere, niſi quia nos ad ſublimiora differebat, majora praeparabat nobis:

Joan. 20. S. Leo ſerm. 2. de Aſcenſ. Dom. S. Fulgentius homil. 44.

bis: ut cum ad Patrem rediiſſet, perfectius, veriuſque eum palparemus, apprehenſuri quod non tangeremus, & quod non cerneremus credituri? Ita res ſe habet. Quando enim Filius Hominis, Dei Filius excellentius, ſacratiuſque innotuit, niſi cum in paternae majeſtatis gloria ſe recepit, & ineffabili modo coepit eſſe divinitate praeſentior, qui factus eſt humanitate longinquior? S. Leo ibid.

Sed, ut in nobis perficerentur Dei aſcendentis conſilia, corroboratae Fidei ſpes quoque acceſſit. Etenim Chriſtus roganti Petro, num iis aliquid mercedis eſſet, qui neglectis omnibus, & quaeque peroſi commoda arctiorem vitam, ipſo duce, ſuſceperant, reſpondit, ſe Coeli ſedes daturum illis, qui eum fideliter ſequuti eſſent, eoſque judices hominum in regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuae, ipſos quoque conſeſſuros. Quod quidem ad veram in hominibus ſpem excitandam, conſtabiliendamque magnam vim habuiſſe manifeſtum eſt. Verùm, auctam quoque hujuſmodi fiduciam eſſe hodierno Chriſti triumpho, negare quis poſſit? Hodie ſiquidem humanum genus reconciliatum eſt Deo, hodie diuturna ſimultas, longumque illud bellum diſſolutum eſt, hodie, qui terra ipſa videbamur indigni, ad ſupernum regnum Matt. 19. S. Jo. Chryſoſt. hom. de Aſcenſ.

gnum aſcendimus, & cum Capite noſtro Chriſto tanquam membra ejuſdem Corporis regalem Sedem occupamus. Hodie enim ſatis non fuit Dominum penetrare Coelos, ſed ſupra Cherubim aſcendit, & ultra Seraphim elevatus non ante ſtetit, quàm ad Beatiſſimae Triadis Thronum perveniſſet. Hodie illum Pater ſuſcepit, & ad dexteram ſuam collocavit. At quiſnam eſt ille, qui tantùm exaltatur, quae ea natura, cui dixit Deus: eſto meae particeps Sedis? Illa illa ſcilicet eadem, quae in eam, de qua effecta erat, terram revertendi ſententiam reportavit. Oh verè ineffabilem Dei miſerationem! Oh humanitatis noſtrae felicem ſortem, atque admirandam! Super omnia nimirum hodie elevatur, ut homo, qui loco tam humili tenebatur, ut deſcendere non poſſet ulteriùs, ad tam excelſum gradum eveheretur, ut altiùs non poſſet aſcendere. Quae cum ita ſint, quis Chriſti Aſcenſionem ad ſuperos ſpem certam facere futuri noſtri in Coelum ingreſſus, imo in ea ulteriorem quamdam nobis glorificationis noſtrae cautionem datam eſſe inficiabitur?

S. Jo. Chryſoſt. ſerm. de Aſcenſ. Domin. tom. 3.

Sed graviora ſuperſunt. Quae una vinculum perfectionis eſt, quaeque omnium in ſe una bonorum continet varietatem, eam animis penitus

Coloſ. 3. 4.

tus

tus noſtris Aſcenſio Chriſti charitatem adtulit, atque elargita eſt. Etenim, ut paucis conficiam rem, Apoſtolis charitate maxima in Deum, ac Proximum flagrare cupientibus, Spiritum Sanctum ſe miſſurum pollicitus fuerat Dominus: At non niſi ipſo abeunte ſummum illum, divinumque ardorem fuiſſent experti; Niſi enim abiiſſet Chriſtus, Spiritus Sanctus non deſcendiſſet. Ubi verò ille diſceſſit, qua vi illabens hic Sanctiſſimus Spiritus ſe in eorum corda diffuderit, qua flamma beatiſſimum Coetum illum incenderit, rei exitus, & eventus oſtendit. Ii ubi pedem e domo divini afflatus conſcia extulerunt, eos non humano, ſed Dei ſpiritu actos quiſque cognovit. Ardebant ora: Splendebant oculi: toto e corpore, ex aſpectu, e vultu divinus quidam ignis emicabat. Jam illos cerne: ut erumpunt, ut inter confertas turbas geſtiunt, clamant, exultant, & quam in cordibus continere non poſſunt divinam flammam, in alios effundere conantur. Illi timidi prius, atque imbecilles, ſecuri nunc, & incredibili quadam fortitudine roborati, non jam intra Coenaculi anguſtias ſe cohibent, ſed in apertam exeunt aciem, coram Populo, Principibus, ac Sacerdotibus palam Chriſto teſtimonium reddunt; Imo in omnem

Rom. 8. 14.

Pſalm. 18. omnem terram exit ſonus eorum, & in fines Orbis terrae verba eorum; Mundum univerſum amore Chriſti incendunt, & carceres, verbera, mortemque ipſam contemnunt. Scilicet ea, quae timorem neſcit, quae omnem expellit formidinem, charitate roborantur. An verò tantum divinis illis ſolùm hominibus diſceſſio Chriſti bonum praeſtitit, an etiam Poſteris, univerſaeque Eccleſiae voluit eſſe commune? Adfuit perpetuò, adfuit, & adeſt idem ille ditiſſimus amoris Spiritus; nec Apoſtolos tantùm, ſed & eos omnes, quos vel obita morte pro Chriſto, vel vitae caſtè, integrèque traductae laude praeſtantes colimus, quos ipſe Aris, & Coelo dignos effecit, ſemper afflatu ſuo ſuccendit, & nunc quoque ſingulos, quos ſignat, atque ungit, & divinae facit naturae conſortes, quotidie excitat, atque inflammat. Quantum fortiſſimos Martyres coeleſtis hic ignis aduſſerit, compertum eſt omnibus. Eum non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non laniatus ferarum, non immania tortorum ſupplicia in illis extinguere potuerunt. Eo ſuccenſi non ſolùm Viri, ſed etiam foeminae, non tantùm Impuberes, atque Infantes ſola antea imbecillitate ſpectati, ſed etiam tenerae Virgines, mortis ſenten-

2. Corint. 1. 21.

ten-

Digitized by Google

tentiam ſubire, & ad ſanguinis uſque effuſionem decertare non dubitarunt. Eum nulla Tyrannorum vis, nulli Hoſtium impetus, imo nec ipſis Infernorum portis erumpentium ſtygiárum poteſtatum agmina repreſſerunt, aut imminuere aliqua ex parte valuerunt. Quod ſi in noſtra haec tempora oculos convertamus, eadem profectò coeleſtis hujus ardoris vis erit dignoſcenda in Eccleſia, imo in unoquoque Fidelium, qui eum non extinguat, aut reprimat, ſed ejus motibus obſecundet, ita ut non nunc Eccleſiae Martyres, ſed Martyribus potius creberrimos, crudeliſſimoſque illos priſtinos tortores deficere meritò gloriari poſſimus.

Quare cum tantorum bonorum Dominus e terris digreſſus nobis Author extiterit, illud reſtat unum, ut exultemus in Domino, & ſacrum hunc diem alacri, & loeto animo celebremus, ac divino freti auxilio, quantum in nobis eſt, pro virili parte illum ex his conſequi fructum enitamur, quem ampliſſimum nobis Chriſtus propoſuit, dum nobis hodie coeleſte regnum patefecit. Atque, ut Auguſtini verbis poſtremum eloquar, ſi rectè, ſi fideliter, ſi devotè, ſi ſanctè, ſi piè Aſcenſionem Domini celebramus, aſcendamus cum illo, & ſurſum corda habeamus. Dediſca-

Clem. XI. hom. 2.

S. Auguſt. ſerm. 2. de Aſcenſ. Domin.

diſcamus igitur prorſus terrena, atque ſolùm coeleſtia deſideremus, & mente ab inanibus rebus abducta, ac in aeternis defixa, non quae ſuper terram, ſed quae ſurſum ſunt, quaeramus, quae ſurſum ſunt, ſapiamus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LAUS DEO.

Digitized by Google